FUNDAMENTA COMPENSATIONIS A PRIORI DEMONSTRATA

SISTIT,

ET

LECTIONES SUAS HIEMALES TUM JURIDICAS, TUM PHILOSOPHICAS STUDIOSÆ JUVENTUTI IN ACADEMIA FRIDERICIANA NOTAS FACIT

DANIEL FRIDER. HOHEISEL
J. ET P. D. ET REG. BORUSS. SOCIET. SCIENT. SODALIS.

BIBLIOTECA NAZ. ... EMANUELE

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS JO. CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr. 1729.

Digitized by Google

Conspectus Programmatis.

Solutionis definitio §.I. *Solutio ſupponit obligationem, quæ definitur* §.II. *quotuplex ſit objectum obligationis* §. III. *aliud pro alio nec obtrudi nec exigi poteſt* §. IV. *ſolutione tollitur obligatio* §.V. *Quid ſit debitor quantitatis* §. VI. *quomodo is ſolvat* §.VII. *tranſitio ad compenſationem* §.VIII. *Compenſationis definitio* §.IX. *Removetur dubium, quod hæc doctrina in ſtatu quidem naturali, ſed non civili procedat* §.X. *Differentia inter compenſationem & ſolutionem* §. XI. *Debita diverſi generis & ſpecierum debita nequeunt compenſari. Notatur Titius* §. XII. *Quid hoc loco ſit eadem quantitas.* §. XIII. *An per compenſationem obtrudatur ſolutio particularis?* §. XIV. *quo ſenſu dicatur ipſo jure procedere.* §. XV. *Contingit volente alterutro* §. XVI. *An liberentur fidejuſſores, ſi creditor potuit compenſare & voluit? Neg.* §. XVII. *Compenſatio opponi poteſt pupillo* §. XVIII. *Quo ſenſu dicatur exceptio facti?* §. XIX. *Debita debent eſſe liquida & pura* §. XX. *Concluſio* §. XXI.

§. I.

UT fundamenta compenſationis evidenter appareant, neceſſe eſt de ſolutione quædam præmitti: quæ eſt *factum debitoris, quo is revera id ipſum creditori ſuo accipienti præſtat, quod eidem debebat, animo præcedenti ſuæ obligationi ſatisfaciendi.*

§. II.

Omnis itaque ſolutio ſupponit præcedentem *obligationem* (§. I.) *quæ hoc loco eſt neceſſitas moralis exhibendi alicui perſonæ officium aliquod determinatum, ut media felicitatis humanæ ab hominibus in homines deriventur.* (*) Unde & omnis ſolutio ſupponit medium aliquod felicitatis humanæ alteri exhiberi.

§. III.

(*) Quid ſint officia determinata, & quomodo indeterminatis opponantur, in Jure Naturæ exponimus, & paſſim hæc principia noſtra jam vulgavimus.

§. III.

Sed cum ejusmodi humanæ felicitatis media non alia eſſe queant, quam vel *operæ*, ſeu *facta* preſſe dicta, vel *res*, (**) atque hæ iterum vel *ſpecies* ſeu *individua*, vel *genera* ſeu *quantitates*; ſequitur, omnem obligationem vel ad operam, vel ſpeciem, vel quantitatem præſtandam tendere.

§. IV.

Quoniam vero felicitati ſingulorum hominum non quævis promiſcue res factave inſerviunt, nec a quovis indiſtincte atque æquali commoditate exhiberi poſſunt, (uti e ſenſu communi pateſcit) ſequitur, obligationem pro lubitu debitoris non mutari, nec invito creditori *aliud quam debebatur* obtrudi; nec vice verſa, ab invito debitore aliud pro alio, ſolutionis nomine, exigi poſſe (per §. *I.*)

§. V.

Omnis autem obligatio eſt reſtricta ad peculiare officium alteri præſtandum (§. III. & IV.) Ergo illo exhibito, nihil amplius intuitu ejusdem obligationis debetur; qui nihil debet, ejus obligatio eſt ſublata: Ergo qui ſolvit, liberatus eſt (§. I.)

§. VI.

Diximus §. III. deberi etiam poſſe *quantitates*, quæ hoc loco ſunt *res mobiles, generali nomine denotatæ, & vel pondere, vel numero, vel menſura determinandæ, ſecundum modum, tempore contractæ obligationis iis præſcriptum.* Sic qui decem libras auri, qui quinquaginta unciales nummos, qui viginti tritici modios alteri debet, vocatur debitor generis & quantitatis.

§. VII.

Talis itaque debitor ſolvit, ſi conventum pondus, vel debitam menſuram, vel promiſſum numerum ejusdem nominis ac bonitatis creditori ſuo præſtat (per §. I. & VI.) conſequenter non poteſt *minorem* numerum præſtare. Idem de pondere & menſura dicendum. Hinc præſtatio *partis* non eſt vera ſolutio (per §. I.)

)(2 §. VIII.

(**) Quas tamen ſemper cum *juribus* iis cohærentibus tam in naturali quam civili jurisprudentia concipiendas eſſe, evicimus in *Diſput. de Concurſu duarum cauſarum lucrativar. in eand. rem & perſon.*

§. VIII.

Quodſi jam ſupponamus, Lucium debere Titio centum imperiales, atque eundem Titium obligatum eſſe Lucio itidem ad centum imperiales præſtandos, habebit Lucius jus adigendi Titium, ut centum imperiales ſibi præſtet, quare, ſi quod eidem reciproce debet, retinet, procurat ſibi propria auctoritate præſtationem debiti ſui. (§. VII.) Idemque de Titio, ſi is debiti ſolutionem Lucio denegare velit, dicendum eſt, utriusque enim paria ſunt jura: Id ipſum vero eſt, quod vocamus *compenſare.*

§. IX.

Eſt itaque *compenſatio modus parandi ſibimet ipſi præſtationem iſtius quantitatis, quæ ſibi debetur, per denegationem ſolutionis creditori ſuo, cui quis eandem quantitatem ejusdem generis debet.* Ergo inter mutuos debitores & creditores locum habet.

§. X.

Fit quidem compenſatio propria creditoris auctoritate, (§. IX.) adeoque in ſtatu naturali potius, quam civili procedere videri poſſet: Sed cum illa fiat absque fraude & violentia privata, hinc eſt, quod leges civiles illam approbaverint, cum ſi alter putet, ſe læſum eſſe, non prohibeatur alterum convenire: quo facto, de utriusque jure atque obligatione uno eodemque proceſſu cauſæ cognitio inſtitui poteſt: jam vero reipublicæ expedit lites diminui. *L. 21. in f. ff. de Reb. cred.* Tantum vero abeſt, leges civiles improbare, ut quis propria auctoritate jus ſuum (absque fraude tamen, & violentia) exſequatur, ut potius multos alios ejusmodi modos introduxerint ac ſtabiliverint, prouti ex innumeris caſibus, ubi *detentio* rerum alienarum permittitur creditori, donec ipſi ſatisfiat, item ex hypotheca tacita, locatoribus prædiorum conceſſa, elucet.

§ XI.

Quodſi jam definitionem compenſationis cum ſolutionis definitione conferamus, facile patebit inter utramque differentia & ſimilitudo: nimirum ſolutio etiam in præſtatione factorum & ſpecierum locum habet (§. I. & II) compenſatio tantum in quantitatibus debitis (§. IX.) deinde ſolutio requirit factum debitoris, ejusve

pro-

procuratoris) præſtantis (§.I.) compenſatio autem ſolius creditoris voluntate perficitur (§.IX.) ergo & inſcio, vel obnitente debitore. In reliquis autem conveniunt. (*)

§. XII.

Diximus, compenſationem ſupponere mutuos creditores & debitores ejusdem generis & quantitatis §.IX.) Ergo ſi ego tibi ſpeciem debeam, tu mihi aliam ſpeciem debeas, non procedet compenſatio, prouti nec debitum ſpeciei cum debito quantitatis poteſt compenſari. *L. 5. ff. de impenſ. in rem dot. fact.* quin imo nec quantitatum diverſi generis juſta eſt compenſatio. *L. 10. §. 2. L. 11. ſq. ff. de Compenſ. L. 4. L. 8. C. Eod.* niſi novatio præceſſerit. Nam in compenſatione creditor ſibi parat præſtationem debiti ſui (§. IX.) ſed aliud pro alio ab invito debitore exigere nefas eſt (§. IV. in f.) Jocularem itaque errorem commiſit *Titius in Obſervat. 407. ad Pufend. de Offic. hom. & civ. l. XVI. 2*, exiſtimans, mero Jure naturali quasvis obligationes, rerum præſtationem reſpicientes, compenſari poſſe. Tali certe modo omnes emptiones, locationes, permutationes, ubi utrinque fides habetur, forent eluſoriæ, cum ſemper compenſatio emptorem inter & venditorem; locatorem & conductorem; denique inter permutantes locum eſſet habitura, quod rationi repugnat (per §. IV.)

§. XIII.

Quando vero *ejusdem quantitatis* mentionem facimus (§.IX.) hoc cum grano ſalis accipiendum. Illis enim, qui vel numerare ſciunt, notum eſt, minorem numerum majore contineri, quare ſi tu mihi quinquaginta debeas, ego autem tibi ſeptuaginta debeam, tunc ſane & ego tibi debeo quinquaginta, ac præterea adhuc viginti; hinc *quoad quinquaginta* ſumus mutui creditores & debitores *ejusdem generis & quantitatis*, conſequenter quoad *ſummam concurrentem* procedet adhuc compenſatio, atque ita *pro rata* debitum meum diminuetur *L. 4. C. de Compenſ. L. 4. ff. Qui pot. in*

(*) Comparamus hic definitiones, atque ita principia prima compenſationis & ſolutionis: Unde & in illis conſectariis, quæ ex his principiis fluunt, inter ſe conveniunt, vel diſcrepant. Nemo itaque putet, verbis ultimis hujus §. repugnare illa, quæ dicuntur §. *XVIII.*

pign. L. 19. ff. de Liber. cauſa. Ergo quæ ſuperſunt, viginti debebo tibi & præſtabo.

§. XIV.

In dato quidem exemplo videri poſſet minus legitima ſolutio fieri; qui enim ſeptuaginta debet, & viginti ſolvit, quinquaginta compenſans, is ſaltim partem debiti præſtat, quæ injuſta eſt ſolutio (§. VII.) Et profecto quomodo hæc cum principiis conciliare ſuis poſſint, diſpiciant illi, quibus ſufficit dixiſſe, compenſationem inſtar ſolutionis eſſe. Secundum noſtra philoſophemata omnia evidentiſſima ſunt; nam in caſu adducto *ego creditor* mihimet ipſi procuro præſtationem ejus, quod mihi debetur, conſequenter quinquaginta retineo, ratione quorum tu in ære meo fuiſti, ergo nec *plus*, nec *minus*, nec *aliud* retineo, quam mihi debebatur, cumque tali modo, quod tibi debebam, quoad quinquaginta ſublatum ſit, ſequitur, me viginti præſtantem tibi, præſtare id, quod debebam.

§. XV.

Ex dictis intelligi poteſt, quo ſenſu *ipſo jure* compenſatio contingere dicatur in *L. 4. C. de Compenſ. L. 4. ff. qui pot. in pign. L. 19. ff. de liber. cauſa.* Nimirum locum habet illa, ſi ſaltim *alteruter* mutuorum creditorum *velit.* Nam ex quo tu mihi reciproce debere cœpiſti, ego *potui* tibi ſolutionem ejus, quod tibi debebam, denegare, adeoque me ſolo volente (licet nihil de compenſatione inter nos convenit, h. e. ipſo jure) quod tibi debebam, ſublatum eſt. Ergo ab eo tempore ſiſtitur uſurarum curſus, liberantur pignora, quæ tibi dedi, & fidejuſſores. *L. 4. ff. L. 12. C. de Compenſ.*

§. XVII.

Notanter dico: ſi alteruter velit (§. XV.) Ergo ſi ego tibi ſolvam, manes adhuc mihi obligatus; fieri enim poteſt, ut mea interſit, nomen iſtud integrum ſervare, forte quia uſurarium eſt, atque ego intuitu ſolutionis plane ſecurus ſum, nec ſortem elocandi commoda affulget occaſio. Hinc qui ſolvit, non oppoſita (quod facere poterat) compenſationis exceptione, hoc ipſo non

remit-

remittit tacite jus ſuum, quod innuitur in *L.2.ff.de compenſ.* & *L.1. ſ.4.ff.de Contrar. tut.* & *util. act.* niſi aliæ conjecturæ voluntatis accedant. *L.26.ff.de Probat.* juncta *L.10.C. de Legat.*

§. XVII.

Ex adductis elegans ſolvi poteſt problema: Fac, Lucium mihi debere centum, atque in ſecuritatem iſtius crediti me accepiſſe fidejuſſores, deinde contingere, ut & ego Lucio centum debeam, quæ ipſi prompte ſolvo, poſtmodum Lucium, everſa menſa, foro cedere, jam a me conveniri fidejuſſores; quæſtio eſt: an illi exceptionem debiti per compenſationem ſublati cum effectu posſint opponere? Certe, ſi illud: *ipſo jure*, ſecundum clara verba accipis, quæſtio eſt affirmanda; quam tamen nos fidenter negamus; Cum enim hoc: *ipſo jure*, demum intelligendum ſit, ſi alteruter creditorum velit (§.XV.&XVI.) in adducta autem facti ſpecie *neuter* compenſare *voluerit*, ſequitur, condemnandos eſſe fidejuſſores.

§. XVIII.

Ex eodem principio concludimus, compenſari cum pupillo poſſe. *L.11. C.de Compenſ. L.1.ſ.4.ff.de Contr. tut.* & *ut. act:* licet pupillus, inſcio tutore, non recte ſolvat. Nam ſolutio fit actu voluntario debitoris (§.I.) ſed verendum, ne ob lubricum ætatis pupillus lædatur ſolvendo, quod non debebat: At compenſatio *ſolo* creditore *alterutro* volente, perficitur (§.XI.) Cæterum ſi læſum ſe pupillus putet, poterit adire magiſtratum. (§.X.)

§. XIX.

Supponit autem omnis compenſatio mutuum *jus*, mutuumque *debitum* (§.IX.) cum vero illud ſit res *facti*, ſequitur, compenſationis exceptionem in judicio allegandam eſſe, ſi alteruter conveniatur: res facti enim a judice non poſſunt partibus ſuggeri, atque hoc ſenſu exceptio compenſationis facti eſſe recte dicitur *ſ.pen.J. de act.*

§. XX.

Ex eodem principio fluit, debitum ſupponi utrinque & liquidum & purum: in illiquido enim cum *nondum conſtet de iure* creditoris, nec poterit ille ſolutionem *debiti* ſui *ſibi parare*, multoque minus ſi nondum ceſſit dies venitve, debitorem adigere,

ut

ut ſibi ſolvat, conſequenter nec compenſare (§.IX.) add. *ſ. 30. J. de Action. L. ult. ſ. 1. C. de Compenſ. L. 7. ff. Eod.*

§. XXI.

Sunt hæ potiores ac difficiliores de compenſatione concluſiones, quæ e fundamentis iſtis, quæ primus (quantum mihi notum eſt) jeci, prono alveo fluunt, atque evidenter intelliguntur. Facillimum mihi foret, reliquas ſubjicere; ſed ut modum programmatis ſervem, ſufficit illas adduxiſſe, quæ e vulgaribus de compenſatione principiis vel plane non, vel difficulter deduci poſſunt. Non deerunt quidem, quibus exiguæ utilitatis demonſtrationes in Jurisprudentia videbuntur, & qui noſtram compenſationis definitionem intellectu difficillimam exiſtimabunt: quos tamen etiam atque etiam rogo, ut haud gravatim e ſuis principiis (ſi quæ ipſis ſunt) concluſiones a nobis adductas evidenter & cum convictione lectoris demonſtrent; deinde ut faciliorem eandemque perſpicuam compenſationis definitionem ſuppeditent. Si clamitaverint: illam eſſe *mutui debiti & crediti contributionem*, in aurem ipſis dixero, *contributionis* vocabulum *compenſatione* obſcurius eſſe, nec jam intelligi, quid ſit contributio, quidve compenſatio, quamobrem & ipſe *Cujacius* (Vir magnus) dudum iſtam definitionem rejecit. Quod reliquum eſt, quemvis ſenſu ſuo abundare facile largior.

Ad lectiones quod attinet, adſpirante ſupremo Numine *Hora VIII. Puſend. de Officio hom. & civis* una cum *Titii obſervat.* exponam, præmiſſurus ſuccinctam *Juris Naturæ hiſtoriam*,

Hora X. juncta *hora II. Pandectas* Ill. Dn. Böhmeri explicabo: niſi *Weſtenbergium* elegerint Domini commilitones.

Hora IX. Textum Inſtitutionum Juſtinian. una cum notis Dn. Böhmeri enucleabo.

Hora III. Summe Rev. Dn. Buddaei Politicam;

Hora V. Logicam Celeberr. Dn. Wolffii docebo.

Nec denegabo operam illis, qui vel collegium *logico-practicum*, vel *diſputatorium* deſideraverint; Lectionum iſtarum bono cum DEO finitis nundinis Lipſienſibus h. e. d. XVII. Octobr. initium facturus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE